

corporis, est delectatio organica seu sensibilis; si ob voluptatem carnalem ad concupiscendam eam, est delectatio venerea. Eadem notari et dici possunt de lectione libri, de inspectione pictura vel sculpturæ.

Hinc facile intelligitur quasdam delectationes in se licitas, valde periculosas esse ob earum connexionem cum venerea delectatione. Exempli gratiâ, qui voluntarie delectaretur in consideranda pulchra muliere ob præclara ipsius dona intellectus, et à *fortiori*, ob perfectionem corporis, facile deduceretur in delectationem carnalem.

Castitas, has delectationes moderans juxta rationis dictamen, ut diximus, triplex distinguitur, conjugalis, vidualis et virginalis. Conjugalis usum matrimonii juxta rationis dictamen moderatur. Vidualis in eo consistit ut, post matrimonii dissolutionem, ab omnibus venereis abstineatur.

Castitas virginalis considerari potest materialiter vel formaliter. Materialiter considerata sumitur pro integritate carnis, et definitur immunitas à quovis experimento delectationis venereæ, sive per copulam, sive per quilibet actum luxuriæ consummatæ. Formaliter autem spectata virginitas est perfecta abstinentia à qualibet delectatione venerea etiam interna, cum proposito eamdem abstinentiam in perpetuum servandi. Ea sola rationem virtutis habere potest. Si ex motivo naturali et laudabili servetur, est virtus naturalis; si ex motivo supernaturali, est virtus supernaturalis.

Hinc 1º virginitas formalis lreditur non solum per actus externos voluntarios, sed etiam per quilibet delectationem venereum voluntarie habitam. Attamen, quamdiu integritas corporis existit, hæc mirabilis virtus, per actus incompletos læsa, semper reparari potest.

Hinc 2º virginitas formalis per actus externos prorsùs involuntarios non destruitur, et *aureola* gloriæ virginibus sanctis promissa, non denegabitur puellis involuntarie oppressis, quæ totis viribus restiterunt.

Hinc 3º virginitas per actus externos, licitos vel illicitos, voluntariè amissa, jam recuperari non potest. Aureola igitur gloriæ in cœlo virginibus præparata, nunquam decernetur conjugatis, nec voluntarie corruptis, quantumvis sanctis.

Actus castitati adversantes possunt esse consummati vel non consummati, naturales, vel contra naturam.

His prænotatis, dicemus: 1º de luxuriâ in genere; 2º de speciebus luxuriæ naturalis consummatæ; 3º de speciebus luxuriæ contra naturam consummatæ; 4º de peccatis luxuriæ non consummatæ; 5º de causis, effectibus et remediis luxuriæ.

CAPUT PRIMUM.

DE LUXURIA IN GENERE.

Luxuria, à verbo luxare sic nuncupatur, quia hujus vitii proprium est vires animi et corporis

relaxare ac dissolvere : unde aliquando etiam vocatur dissolutio, et qui nimis ei cedunt, dicuntur dissoluti. Recte definitur : *Appetitus inordinatus delectationis venereæ.*

PROPOSITIO.

Luxuria ex genere suo peccatum est mortale.

Probatur hæc propositio Scripturâ sacrâ, consensu Patrum ac theologorum et ratione. 1º Scripturâ sacrâ: Epist. ad Gal., 5, 19 et 21: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.... et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* 2º Consensu Patrum ac theologorum, qui unanimi ore semper docuerunt peccatum luxuriæ ex genere suo esse mortale. 3º Ratione: delectatio enim venerea ad solam generis humani propagationem, ex intentione Creatoris, fuit destinata; ergo ipsius inversio ex naturâ suâ gravis est inordinatio, ac proinde mortale peccatum; ergo, etc.

Quæritur an luxuria ita sit peccatum ex genere suo mortale, ut levitatem materiæ non patiatur, id est, ut nunquam sit veniale defectu materiæ.

R. 1º Species luxuriæ consummatæ, sive naturalis, sive contra naturam, de quibus infrâ dicemus, levitatem materiæ non patiuntur. Nonne manifestè repugnat dari fornicationem vel pollutionem voluntariam, quæ ex naturâ suâ levis sit materia peccati?

IN SEXTUM PRÆCEPTUM.

R. 2º Delectatio merè organica, id est, quæ ex naturali proportione inter organa nascitur, v. g., delectatio visûs ex pulchritudine, auditûs ex melodiâ, tactûs ex mollitie vel lenitate objecti, etc., à delectatione venereâ distinguitur, et levitatem materiæ admittere potest; nam talis delectatio in se non est mala, cum ipse Deus eam sensibus pro fine legitimo annexuerit; peccatum igitur mortale esse non potest nisi ratione periculi ulterius progrediendi: atqui fieri potest ut in quibusdam personis periculum non sit grave; ergo, etc. Ità, de osculis ob delectationem organicam obiter datis, *S. Antoninus, Sanchez, Henno, Comitolus, Sylvius, Boulart, Billuart, Collet, contra Cajetanum, Diana, Salmantenses, S. Ligorium, l. 3, n° 416*, etc.

Hinc, qui delectatur in videndâ muliere pulchrâ, in tangendo manum ejus mollem, nihil ultrâ volendo, nec sentiendo, nec periculum grave ulterius progrediendi incurrendo, mortaliter non peccat. Rarò tamen ab omni peccato immunis est, et mora in tali delectatione, præsertim ex tactu proveniente, ordinariè periculosa est: igitur qui in delectatione istâ moratur, à gravi peccato sæpè excusari non potest, nisi defectu advertentiæ aut consensûs. Multi itâ sunt constituti ut ferè quelibet delectatio organica voluntaria, ipsis graviter sit periculosa.

R. 3º Delectatio venerea potest esse volita directe vel indirecte, seu in se vel in causâ, nempe si quis ponat actionem ex quâ præter voluntatem sequatur ista delectatio. Commu-

niter admittunt theologi delectationem indirectè solummodo volitam, levitatem materiae pati posse : v. g., aliquis vacat rei venialiter malae vel illicitae, ex qua prævidet nascituras carnis commotiones quibus non assentiet, et sufficientem non habet rationem eas permittendi, mortaliter non peccat. Quidam dicunt peccatum in eo casu non fieri veniale defectu materiae, sed defectu consensus.

R. 4º Delectatio venerea directè volita considerari potest in conjugatis vel in solutis : in conjugatis, est licita, modò in ordine ad actum conjugalem habeatur; si verò extra actum conjugii circa solum conjugem et absque gravi periculo incontinentiae percipiatur, est duntaxat peccatum veniale, juxta communem sententiam, quia ex se tendit ad rem licitam : hoc alibi expendemus.

Quæstio igitur ad hoc reducitur, an, scilicet, delectatio venerea directè et extra matrimonium volita, levitatem materiae admittat.

Communissimè tenent auctores, contra *Carhamuel* et admodum paucos alios, talem delectationem nunquam esse peccatum veniale defectu materiae, et sequentibus nituntur momentis : 1º auctoritate Alexandri VII, qui, anno 1664, sequentem damnavit propositionem : *Est probabilis opinio quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus et pollutionis.* Per delectationem carnalem ordinariè intelligitur delectatio venerea, et eo sensu propositio fuit con-

demnata : non igitur probabile est talem delectationem in minimo gradu esse tantum peccatum veniale. 2º Ratione : ità corruptione nostrâ in vitium luxuriæ trahimur, ut minima causa magnos sæpè producat effectus; supposito igitur consensu directo in delectationem veneream, proximum semper incurritur periculum ulterioris consensus vel pollutionis, quod in aliis vitiis non eodem modo accidit. Unde P. *Aquaviva*, generalis societatis Jesu, omnibus religiosis sibi subditis, sub poenâ excommunicationis prohibuit ne unquam recederent in docendo à sententiâ quæ tenet delectationem veneream levitatem materiae non admittere; ergo, etc.

Hinc in motibus carnis etiam casu excitatis liberè delectari, peccatum est mortale.

CAPUT SECUNDUM.

DE SPECIEBUS LUXURIE NATURALIS CONSUMMATAE.

Luxuria dicitur naturalis, quando humanæ naturæ, seu propagationi generis humani non adversatur. Est igitur carnalis viri et mulieris conjunctio, modo generationi apto, sed extra matrimonium. Consummatur per effusionem seminis viri intra vas naturale mulieris.

Semen autem est humor viscosus ad generationem et speciei conservationem ab ipso creatore destinatus. Essentialiter differt ab urinâ quæ est secretio alimentorum, et in sublevamen naturæ ejicienda est sicut excrementsa.